

tione aggressorem prævenerim; ea tamen præventio licitæ non erit perpetuò impedimento defensionis. Potest inuasor gladio ad pugnam parato, è vaginâ licet nondum ducto offensionem defensionis hypotheticè proportionatam præbere. Pugno scilicet facta percussio oculos sensusque invasi abstruens, gladio simul ad pugnam composito, licitam operatur defensionem. Metuendum quippe invaso, nè cunctando vel vulneretur lethaliter, vel occidatur confestim. Atque hæc supposita explicatione posteriori omninò subscripserim sententiæ. Nullus enim qualemcunque hîc intellexerim conatum. Eum certè ab effectu subsequutò facilè distinxerim. Præsens interim offensionis periculosa metus diversam hæc exigit dispositionem. Neque enim invaso termini aggressionis violentæ ab aggressore præscripti. Versatur is ob vim imminentem in proximò vitæ periculo. Quis igitur eum injustè acturum, qui id declinare allaboret, asserere unquam ausurus? Habebit potius occidens adversarium sibi gratulari de justitia belli privati, & quò subnititur, defensionis privilegio.

XIV. Dicta probâsse opinor abundè, actualem ad defensionis licentiam haud desiderari percussionem. Actum interim percussioni proximum procedendi licentiam præbere offenso. Quid autem decretum homicidii operetur, non vulgaris quæstio est. Supponendi tamen termini habiles; nè rem facilem satis prædicemus difficilem. Non intelligenda mens nostra de vago & qualicumque homicidii decreto. Ita quippe nemo facile eò absurditatis progressurus, ut defensionis armatæ indistinctè locum concedat. Istiusmodi decretum nostræ in præsentis subjiciendum considerationi, quò periclitatur vita illius, in quem decretum homicidii factum. Potest illo prævio quis facile in dubium præceps fieri periculum, ut vel mortem postea non effugiat, vel proximo certè exponatur mortis metui. Vulgatum Moralistarum hic subjicere placet exemplum. Decrevit maritus nocte futurâ mortem uxori suæ inferre. Hæc conscia horreni hujus propositi omni alio periculum imminens evitandi exclusa est medio. Controversia inde inter Moralistas exorta: *An uxor marito venenum porrigere possit? Aut an gladio illo, quem Mari-*